B. N. C
FIRENZE
1072
7

1072-7

A 1

CYCLI PASCHALIS GREGORIANI ASSERTIO

Aduersùs Anonynimum Quendam.

Ad Illuſtriſ. & Reuerendiſſ. D. D.

IOANNEM BVXIVM NOBILEM ROMANVM

Vtriuſq. Signaturæ S. D. N. Papę Referend; &

FAVENTIÆ GVBERNATOREM.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

FAVENTIÆ, Typis Ioſephi Zarafallij.

M D C L X V I.

SVPERIORVM PERMISSV.

PH 23350

1072. 7

1072.7

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domine.

HÆrebat animus, neſcio qua populi voce perculſus, lapſum eſſe Cyclū Paſchalem Gregorianum in ingentia incommoda, ſed non tantùm incommoda, verùm, & ſcandala inexpiabilia hoc anno, aduersùs Decreta Diuina, Sacrorumq. Conciliorū, celebritatem Paſcatis per integrum menſem differendo. Extare penes te, Illuſtriſſime Domine, ſcripturam cuiuſdam auctoris anonymi, quę id irrefragabiliter euinceret. Quamobrem impetrata à te pro ea, qua omnes bonarum artium cultores proſequeris, humanitate, huiuſmodi ſcriptura, eā legi, relegi, & miratus ſum, non ſolùm inueniri, ſed etiam laudari, hominem, qui in facie Reipublicæ literariæ, nullis innixus argumentis, nullis ſuffultus auctoritatibus quærat ſuſcitare leuiathā. Abſtinere me non potui ab hac mea ſententia qualicunq. in medium ferenda. Si quandoq in iras indignabundus exarſi, parce leſę patientię.

Si incidi in Sillam cupiens vitare Caribdim, in errore non ero pertinax; Scio enim me alloqui virum, non ſolùm in regimine politico, ſed & in omni ſciētia, arte, ac prçcipuè in rebus Aſtronomicis ſummè verſato, & animus mihi fuit, partes boni viri Catholici, Pontificia decreta violare ſentientis explere, ſemper tamen veritati acquieſcere paratus. Ita omnimodam tolerantiam ſpero ab ea innata benignitate tua, quam prius per effectus, quā per cauſas cognoui. Vale.

Dominationis Tuç Illuſtriſs. & Reuerendiſs.

Fauentię 24. Februarij 1666.

Humill. & addictiſs. Seruus

Petrus M. Kauina.

INſana gloriç libido eò mortalium animos adegit, vt quæ vulgi gratiam, auramque popularem initura videntur, etiam magno reipublicę detrimento, intentata non deſerantur. Talibus votis prędictum anonymum quendam dicerem, qui totius Chriſtiani Orbis miſeratione tactum ſe prædicans, exclamat eſſe enormes Gregoriani Kalendarij lapſus, quibus vrgemur hoc anno, menſe integro ſeriùs, Paſcha celebrare, adductis rationibus, quas perpẽdere in animo fuit.

Et primò annum Iulianũ inconcuſſum ſeruari optaſſe quidem ſummos Pontifices, ipſaq; ſacra generalia Concila non dubito, vt potè qui omnium; quotquot excogitati ſunt, annorum, politicis, & aſtronomicis rebus eſt aptiſſimus; & licet annus ęgyptius ſit ęquabilior; tamen omniũ Europęorum Aſtronomorum cõſenſu ad menſurã motuum cęleſtiũ præ ægyptio eſt acceptus; cũ eni annus ęgyptius cõſtet menſibus 12. æqualibus, & 5. diebus intercalaribus poſt menſem Meſori inſertis, deficiebat vno quadrantẽ ferè diei, enormem ęquinoctiorũ pręceſſionem, & inconſtantiam ferens. de quo anno Iuliano Keplerus in Rudolphinis pag. 44. *Eſt enim forma poſt Aegyptiacam ęquabiliſſima, & motui ſolis ipſa ęgyptiaca conuenientior.* Sed hoc contingere non potuit, vt infra videbitur.

Quòd verò Sacrorum Cõciliorum, Summorumq;

Pontificum intentio traditionibus Moyſis,& Nicęnę Synodi decretis conformis, nos arctare voluerit ad obſeruationem verorum prçciſè ęquinoctiorum, & verorum motuum ſolis,& lunę in celebritate Paſchatis, abſolutè nego.

Nulla enim aut in Exodo, aut alibi in ſacr. Bibl. ſit mentio ęquinoctiorum, & quando Deus O. M. pręcepit Moyſi ſolemnitatem Phaſe 14. primi menſis Niſan, non adſtrinxit Hebręos ad aliquam, vel minimã, ſolis obſeruationem, quos etiam Moyſes Deuter. 17. 19. ab inſpectione coeli quadamtenùs deterruit. *Ne fortè eleuatis oculis ad cælum videas ſolem, & lunam, & omnia aſtra cęli, & errore deceptus adores ea.*

Et licet verum ſit annos hebræos conſtitiſſe duodecim menſibus lunaribus, & ad lunę curſum craſſa Minerua regulatis, cum insertione per ſecundum, vel tertium annum, 13. tij menſis Emboliſmi, quem Hebręi Veadar, ideſt alterũ Adar nominauint, quippe qui, cum primi omnium hominum tempora diſtiſrerint, lunę periodos viſu, & vſu magis perceptibiles, quam aliorum ſyderum obſeruarunt; forſan enim ſol, & planetæ, ęquè ac reliqua aſtra omnia cęlo affixi primis hominibus videbantur, luna verò prior omnium ſuos motus periodicos patefecit; attamen tam facilè eſt cuicunq. lucis vſura non deſtituto, determinare quando luna ad ſenſum ſit ſoli oppoſita, vel ex prima phaſi quando fuerit coniuncta, vt citra errorem duodecim, vel paulò plurium horarum, pronunciari poſſit. Et quamuis Hebræi, poſtea quam literis, & bonis artibus magis vacare cęperunt poſt

ade-

adeptam terrę promiſſę poſſeſſionem, aliquantò magis exacta ſolis, & lunę obſeruatione annum coercere ſtuduerint, diuinum tamen pręceptum non eſt extenſum ad hoc obſeruationis tā exactę onus, ſed tantummodò, vt quotieſcunq. fuiſſet inter eos ſtatutum de initio menſis Niſan, in eius menſis die 14. celebritas fieret, quę cum ſit facta in memoriam Exitus Iſraelitarum ex Ægypto, non debuit ad momentū temporis alligari, cum hic exitus non fuerit factus in momento: habemus enim in Exod. xxxiv. 18. *Menſe enim verni temporis egreſſus es de Ægypto.* quàm verò latè pateat *verni temporis* appellatio, omnes norūt: immò legimus aliquando productam ſolemnitatem ad lunam 14. ſecundi menſis, vt 2. Paralip. 30.

Quò verò ad decreta Nicæn. Synodi, hoc non habemus, niſi per traditionem; cum inter canones huius Concilij nulla fiat de hac re, vel minima, mentio, & ſolum ſciamus demandatam fuiſſe curam, ſiue Cæſarienſi Epō, vt Beda, & alij, ſiue Alexandrino, vt Baronius, de cyclo Paſchali decennouennali formando, quod factū refert Beda lib. de ratione temp. cap. 42. neglectis conſultò ſubtilitatibus aſtronomicis. *Non, quod Ægyptus, vel cetera per Orientem Chriſti Eccleſia verum eatenus lunę curſum, vel diem neſcierit ritè inuenire Paſchalem ſed, quia ea, quę ipſis temporibus annuatim cum labore inueſtigata, & per orbem mandata ſępius in queſtionem venire ſolebant, facilius prefixa ſemel regula circulari ſemper obſeruari, & ſine ſcrupulo ambigendi poterant ediſci.* Sic conſtitutus cyclus Paſchalis ſeruatus fuit vſq. ad tempora Dionyſij Exigui Abbatis, qui il-

lum anno Iuliano, & æræ Chriſti accommodauit du-centis circiter annis poſt C ncil. Nicæn. ideſt circa ann. Chriſti 530. ſtatuens cyclum annorum ciuilium 532. per multiplicationem ſcilicet cycli lunaris 19. cum ſolari 28. vnde periodus annorum 532. dicitur adhuc Dionyſiana, licet Victor Aquitanus illã mul-tis annis ante introduxiſſet, nempe temporibus Hila-rij Papæ, vt refert D. Pet. Damian. lib. 2. Epiſt. 21. quod incidit in annum Chriſti circiter 466. ſecundũ Euſebium in chronico, quæ res quomodo ſe habeat, hic ſcrupuloſius inquirere nihil intereſt. Sed cum ſu-periori ſæculo nimis à cœlo deuiaret, vt Methonicis, Calippicis, alijſq. antiquis cyclis contigit; ita, vt ſæpe viſæ fuerint ecclipſes lunares, luna xij. vel xiij. refe-rente Nicol. Muler. in Iſag. ad Kalendariũ cap. 1. immò Kepler. in Epit. Aſtronom. Copernican. pag. mihi 852. dicat lunam Kalendarij aberraſſe p dies 5. à luna cœli; GREGORIVS XIII. Pont. max. tol-lendum hoc cycli vitiũ optimè cenſuit: quapropter conuocatis eximijs Mathematicis hoc opus dedit; quod verò hoc fuerit citra anni Iuliani detrimẽtum, nullus ſanæ mentis affirmat, cum in anno Iuliano, quarto quoq. anno terminetur periodus, & interca-latio, Periodus verò, & intercalatio Gregoriana 400. tantum annis expleatur (non dico magnam illam pe-riodum Iulianam à Scaligero inuentatam ann. 7980) vnde laudata forma anni Gregoriani, queruntur Aſt-ronomi, id accidere non potuiſſe anno Iuliano inco-lumi, vt aſtronomicis obſeuationib⁹ aptiore, nec tę-dioſiſſimis fractionibus implicato, vt idem Muler. in

in Iſagog. ad Kalen. cap. 17. pag. 40. & Kepler. in Rudolph. pag. 44.

Veros autem ſolis & lunæ motus aſſumi debuiſſe in normam kalendarij, nulla eſt ratio, quæ perſuadeat, nec eccleſia debuit tam ſcrupuloſis ſubtilitatibus inniti, cum nullum extet diuinū præceptum, quod vrgeat, ſed cum memoriam exitus Hebræorum, (quæ cum cæremonialibus antiquæ legis vna cum Chriſto Domino expirauerat) ad eiuſdē glorioſiſs. reſurrectionis tempus applicauerit, potuit ſuo modo diſponere, vt fecit, cum nec etiam ipſis medijs motibus adhæſerit, ſed ex medijs motibus cyclum perpetuū conſtruxerit, qui æquinoctium ſiſteret circa 21. martij, non enim medium æquinoctium ſemper cadit in 21. ſed modò in 20. modò in 22. iuxta motum anomaliæ æquinoctiorum aſſumptæ: & ſi tam anxia fuiſſet in lunæ paſchalis obſeruatiōe, non repuliſſet lunam 14. in diem Dominicum incidentem, expectando ſeptem integros dies, propter illud vnicū, ne cum hebræis celebremus, quod tamē, nec Chriſti præceptis, nec bonis moribus aduerſatur. Et reuerà quid expectamus ab hoc cœli puncto? quod repræhendimur de eo, quod Abraham Auenezra lib. de reuol. annor. Mundi, Albumaſarē redarguit, quod in calculo magnarū Coniunctionū medios motus ſecutus fuerit, cum in veris iudicia fundentur.

Nec obſtat, quod in Conſtitutionibus Apoſtolorū Diuo Clementi primo Pontif. aſcriptis lib. 5. cap. 18. iubeamur obſeruare Æquinoctium. *Vos autem obſeruate ſubtiliter Æquinoctium verni temporis, quod eſt 22. die, decimō*

duodecimi menſis, qui dicitur Diſtrus, obſeruantes vſque ad vigeſimum prima luna, &c. quia præterquam quod liber iſte cõmuniter cenſetur Apochriphus, & qui illum traduxit ex Greco fatetur ab hereticis, Paulianis, & Arrianis fuiſſe corruptũ, forſan etiã, & Codex ipſe corruptus eſt, nam inter menſes Græcorum, & Achiuorum, inter quos tantũmodò vſurpatur hic menſis Diſtrus, vt vel modicè in Chronologia verſatis clarũ eſt & vt legitur in appdice Gaurici ad Almageſt. Ptolem. tractatu de menſibus, ſemper eſt tertius in ordine & non 12. us vt falſus codex dicit, nec inuuenitur in menſibus alterius nationis vt ex Giraldo de annis, & menſib. alijsq. auctoribus cõſtat: qui menſes græci, non verò achiui, recepti fuerunt in vſum eccleſiæ Antiochenæ, & menſis Δυςρος correſpondet noſtro martio, ſed abundat vno die, dies enim 22. diſtri eſt 21. martij, vt ex Rudolphin. Tab. pag. 39. quare cũ aſſeratur æquinoctium in 22. diſtri, clare patet doctrinam eſſe apocripham, & hoc fuiſſe conſcriptũ tẽpore Concil. Nici & Paulianorum, ac Arrianorum, anni ſcilicet Chriſti 325. quando vernum æquinoct. cadebat in 21. martij, non verò tẽpore D. Clementis aſſerti auctoris, qui vixit circa ann. Chriſti 75. & ſic 250. annis ante, quo tempore vernum æquinoct. erat circa diẽ 24. martij, ſiue 25. diſtri, nec imperitus aſtronomiæ hæreticus, qui codicẽ corrupit, falſitatem ſuam ad normam aſtronomicam accõmodare ſciuit. Et quamvis hæc eſſent verè præcepta apoſtolica, non tamen nos obligant ad hanc ſubtilitatẽ, cũ apoſtoli ipſi unquam inquirendis aſtrorum motibus

incu-

incubuerint, quod ſi feciſſent, ex ſacris paginis nobis conſtaret.

Nec intactam reliquerunt viri mathematici huic correctioni adhibiti hanc difficultatem, ſed perpenſis rationibus, medios motus elegerunt, vti æquales ſimplices, nec tam lubricos, reiectis veris, vtpotè inutilibus, & minùs compertis, & ad tollenda diſſidia inter Chriſtianos, & tabulas Aſtronomicas, vt in Apologia kalendarij per C laujum conſcripta, cap. 4. ſatis probatur, quoniam adhibitis tabulis Alphonſinis, & Prutenicis enormis variatio inuenta eſt, cum nec inter ipſas obſeruationes eiuſdē temporis in diuerſis locis, aut differentibus inſtrumētis habitas dari poſſit præciſa vniformitas, ſi non alijs de cauſis ſaltem ob varias variarum regionum refractiones, quarum certa regula licet ſubtiliſſimorū artificum ingenia exercuerit, tamen vix hactenùs eſt inuenta ob inconſtantes, & incōmenſurabiles aeris, modò craſſiores, modò tenuiores vapores: audiuimus enim miratum Hipparcum ad armillas Alexandrinas bis in die æquinoctiū obſeruantē, & hoc ex vitio refractionum, imo Kepl. in Aſtron. Optic. pag. 146. dicit id ſæpiſſimè eueniſſe Thiconi, & incertum, an à refractionibus, an à vitio inſtrumenti. Dum tamen hæc prælo ſubijcerem, dono accepi à viro clariſs. Geminiano Montanario in archigymnaſ. Bononienſi Matheſeos Profeſſore per eius literas ad me humaniſſimè datas, Ephemeridem currentis anni ab eo diligentiſſimè ſupputat. ex Tab. Lansbergij, cum Epiſtola Excellentiſs. Caſſini, ex qua patet euidentia eorum experimentis, & obſeruationibus

tionibus ſæpius confirmata de veritate triplicis Tabi Refractionum Caſſinianæ, & pro vtriuſque viri præſtantia non poſſum non ſperare, quin Aſtronomia has moleſtiſſimas caligines tandem euaſerit.

Sed vt ad rem reuertar, Michael Meſtlinus, qui tā acriter hoc kalendarium impugnauit, pilum in Ouo quærens, nunquam hoc obiecit, ſed medijs motibus vtendum cenſuit, iuxta mentem (vt ipſe dicebat) Nicæni Concilij, vt ex eius verbis inſertis in apologia Clauij lib. 1. cap. 7.

Ommitto alias rationes, & cauſas, quæ annum tropicum reddunt imperſcrutabilem, non ſolum in ſecundis, tertijs, &c. verum etiam in primis horæ ſcrupulis, & de quibus Thico Progymnaſ. tom 1. (edit. Francofurt. 1648) pag. 15. vbi de occaſ. lapſ. Cop. in Apogæo, & Eccentr. ſolis, & Keplerus lib. 7. Ep. Aſtronomiæ Copernicanæ.

Vlterius, vt conſtet dies menſiū Hebræorum fuiſſe alligatos ad medios motus ſolis, & lunæ, optima eſt ratio Lansbergij, qui ad verificandos caracteres chronologicos per Neomenias, & Sabbatha Hebræorum in ſacris literis tradita, concordat exquiſitè motus ſolares, & lunares, medios tamen, non veros, ad annos, menſes, & dies in ſacra pagina indicatos, vt lib. 1. Chronolog. Sacræ cap. 8. & lib. 3. cap. 3. vbi addit kalendarium hiſtoricum quatuor primor. menſiū hebræorum cum ſuis verificationibus.

Denique dato vero æquinoctio, quis poterit habere verum plenilunium? cum lunæ motus adeo ſint implicati, vt Thico deſperet veritatem priſcarum obſerua-

ſeruationum tom. 1. Progym. pag. 107. & Kepler. in Aſtron. Opt. pag. 218. mira dicat de diuerſitate lunaris diametri, pluribus ſimul, & ſemel obſeruãtibus, à 31. in 36. minuta vagante: quæ, quantum referant, periti ſciunt. Et in Rudolph. pag. 111. *Poſt conſumpta omniũ Artificum conſilia, poſt tot inęqualitates lunę prolatas in lucem, adhuc contumax Sydus, legesq. reſpuens paſſim exorbitat minutulè.*

Et ſi toties fuerũt vocati Romam Aſtronomi, hoc fuit, vt reſtitueretur kalendarium enormiter lapſum, non vt veris præciſè motibus indagandis fruſtra laboraretur. Sed conceſſo, quod veri motus eſſent ſeruandi, quænam diffidia, quas altercationes cauſaret diuerſitas meridianorum? & qui ſub æquatore habitant, qui perpetuum habent æquinoctium, & qui vltra circulum Arct cum, vbi extrema Sueciæ, Noruegiæ, & Iſlandiæ, vbi Groelandia, & noua Zembla, & pars Moſchouiæ, & Tartariæ, eorum ij ſi qui ſunt, Antipodes, quos in tam abditas Mundi partes natura reiecerit, qui plerumq. ſolem vident per refractiones, & habent diem ſex menſium, & infra, pro ratione diſtantiæ poli à vertice, quæ regula eis eſt aſſignanda, ne tam ſtrictum præceptum tranſgrediantur? & poſito in meridie æquinoctio vero, cum plenilunio immediatè ſequente, ad quem diem referent illi, qui diem ineunt ipſa meridie, illi, qui ab ortu, qui ab occaſu, qui à media nocte auſpicantur? ſi inter finem vnius, & principium alterius diei id accidat, quot rixæ? quod certum iudicium? quibus horologijs vtendũ, vt momentum temporis aſſequamur? quæ cum ita ſint,

neſcio quorſum hæc iportuna deblateratio. ſed pergo.

Optimo conſilio Franciſcus Leuera ſolaris curriculi reſtitutionem aggreſſus eſt, cum hoc ſtudium ſit inter cætera nobiliſſimū, à ſummis viris excultum, & ſagacis ingenij argumentum; ſed an aſſecutus fuerit cœleſtis anni menſuram, non eſt huius loci diſquirere, ipſe tamen priùs diluat oppoſitiones CLL. virorum Riccioli, & Caſſini, & videbimus, quorum ſit ratio probabilior. ſcio tamen Leueram virum eſſe in his, alijſq. bonis artibus benè verſatum, & qui in hæc deliramen à non deſipiſcat.

Si verò Sac. Congregatio de Propaganda Fide optat in Indias introducere kalendariū Romanum, quid obſtat, quòminùs neglecto anno Arabico dierū 354. & quandoq. 355. Gregorianus adhiberi poſſit, data cura Patriarchæ, vel Primati Indiarum de feſtis mobilibus ad præſcriptum kalendarij indicendis?

Et quamvis futurum, vt aliquando annus Gregorianus correctione indigeat, propter ignoratam veri anni cœleſtis quantitatem, id tamen euenire non poteſt, niſi infra 20000. annos, vt Clauius in Apol. lib. 1. cap. 6. ſuppoſita veritate Anomaliæ Æquinoctiorum Copernicanæ, quam vti verā ſecuti ſunt Magin. Can. 18. Sec. Mobil. & alij, de quibus Ricciol. tom. 1. part. 1. Almageſt. pag. 172. quæ et ſi vera non eſſet, tamen niſi intra aliquot annorum millia, diuerſitatem ſenſibilem inducere poteſt: & ſi annus Soſigenis Iulianus, qui à vero anno magis, & magis diſtabat adhibitus eſt per annos 1600. multò magis durabit annus Gregorianus, qui longè maiori cautione eſt conſtitutus:

ſtitutus: nec Clauius tã audaciter deffendit anni medij, ideſt Alphonſini quantitatẽ, vt æternè conſtantẽ, ſed illam aſſumit, vt mediã, perpenſis difficultatibus, quæ inter Aſtronomos oriuntur, cum ſeruari nõ poſſit perpetua connexio inter annos ciuiles, & cœleſtes; quidquid iactetur dè certiſſimã ãni quantitate adinuenta, quam niſi quis diuina reuelatione aſſequatur, impoſſibile eſt in vltima differentia acquiri: & quãvis per aliquod tempus cœlo reſpondere videretur, tractu tamen temporis ex minutiarum coaceruatiõe error detegeretur, vt omnibus Aſtronomis contigit. nullo enim tam moleſto morbo laborat ars quam in anni quantitate determinandi, cum ſemper, aut maximè lubricis obſeruationibus innitamur, aut ignotũ per ignotum quæramus. Sic Kepler. in Commentat. ad Epiſtolam P. Terentij Soc. Ieſ. ex Sinis de Correctione kalendarij Sinenſis. *Videntur* inquit *Sinę nullũ certum, & ſtatum, & perpetuò vniformẽ typum anni habere poſſe, ſi feſta ſua accommodant ad ipſiſſima æquinoctia.* Et antiqui longè diuerſa ratione conſtituerunt annos Politicos, & Aſtronomicos, quibus vtebantur Genethliaci, vt Cenſorinus de Die Natali, cap. 15.

Non verò eſt credibile Patres Conc. Nic. & ſummos Pontif. voluiſſe hanc ſtrictiſſimã obſeruationem cum euerſiõe annorũ Politicorum, namq. hæc toties repetita, toties decantata Conc. Nic. decreta in medium à nemine afferuntur, & quantumvis à capite ad calcẽ legerim ſummã Conc. Nic. in Maranta, & ipſũ Concilium, eiuſq. præfatiõnẽ, inſert. in tomo operũ D. Clementis; nihil prorſus inueni, reperi quidem

hiſtoria tripartita Caſſiodori lib 2. cap. 12. vbi de Conc. Nicæno. *Euang lizamus autem vobis, & de conſonantia Sanctiſs. Paſchæ, quia ve⟨st⟩ris orationibus eſt correctum etiam hoc opus, ita, vt omnes Orientales fratres, qui cum Iudæis primitùs celebrabant, conſonè cum Romanis, & vobiſcum, & cum omnibus ab initio Paſcha cuſtodientibus, ex hoc tempore debeant cuſtodire.* Quod idem voluit Conc. Antiochen. Can. 1. Toletan. 4. can. 4. vnde conſtat, quales fuerint diſcordiæ, diuerſis enim longè tēporibus inter Chriſtianos celebrabatur, quod erat abſurdum. & in Baro. ij tom. 3. vidi eundē fuiſſe finem Concilij, vt depreſſa hæreſi eorum, qui dicebātur Quartadecimani, qui ſcilicet Paſcha cū Hebræis celebrabant, vniuerſus populus Chriſtianus vna die celebraret, nempe Dominica poſt lunam 14. nec dicit Alexandrinum Epiſcopū veris æquinoctijs rimandis incubuiſſe, ſed adhibuiſſe viros calculi peritos, vt conuenirent in calculo, quia, ſi varios ſeorſim calculos feciſſent, non conueniſſent; quapropter ad tollendum hoc diſcrimen, Alexandrino Epiſc. datū fuit arbitrium in hoc negocio deciſiuum.

8. quoniam mihi hæc ſcribenti inceſſit dubitatio, an pluralitas textuum, tam Exod. quam Conc. Nic. aliquam difficultatem pareret, adiui Bibliam Regiā, Hebr. Caldaic. Græcè, & Latinè Antuerp. æditam, & nullam inueni diſcrepantiam inter verſionem D. Hieronymi, 70. Interpretes, & Paraphraſim Caldaicā; quæ aliquid amplius præciperet, & quatenus etiā præciperet, non eſſet ſeruandum, vt inter alios, Doct. Solemnis Henricus à Gand. in Summ. part. 1. Artic.

15. quæſt. 2. Et viſo, ac reuiſo tom. 1. Conciliorum edition. Romanæ, vbi Conc. Nicænum ex verſione Græcolat. Dionyſij Exigui, tom. 1. Conciliorũ edit. Colonien. vbi triplex verſio eiuſdem Concilij, viſis 24. Canonibus, de quibus in Epiſtola 2. Iulij 1. Pont. 80. Canonibus eiuſdem Concilij per Alphonſum Piſanum Soc. Ieſ. ex textu Arabico allatis, alijs 80. per Turrianum ex alio textu Arabico, ne verbum quidẽ de Paſchate inueni. at in Decret. diſt. 3. de Conſecr. hæc paſſim iubemur, nil tamen de his apicibus, quia ſcilicet eſſent cauſa multarũ litium: *Leges enim*, vt ait Cicero, *iniquæ tollunt, quæ nũs teneri manu poſſunt.* Et *Lex Romana hoc non conſtituit in quauis inæqualitate, minima enĩ non perſequitur, immo, & occurrendum cenſet multitudini litium.* Hug. Grot. lib. 2. de Iure Belli cap. 12. num. 12. quamobrem neſcio, cur Anonym. Auctor, has auctoritates, vel ſibi finxerit, vel in ſuum ſenſum malè detorſerit. at verò, ſi hoc adeò fuiſſet cordi Nicæno Concilio, ſpeciale ſuper hoc decretum condere debuerat.

Ea verò, quæ affertur Concilij Tridentini Seſſ. 24. cap. 18. quæ vult pueros, qui in Seminarijs aluntur, inſtrui in calculo eccleſiaſtico, contra hunc hominẽ pugnant, cum computus eccleſiaſticus talis ſupponatur, qui poſſit à pueris addiſci, quod in aſtronomicis calculis ſubtilioribus non ſuccedit.

Quod autem hoc anno, & forſan etiam ãno 1685, propter diuerſitatem quarundam horarũ inter epactam, & veros motus, lunatio negligatur, concedo, nec Thiconis, Kepleri, Lansbergij, Bullialdi, Argoli,

Eichſt.

Eichſtadij, aut alium calculum aggredi volo, abſque neceſſitate, & cũ magno tędio: ſed eſto error integræ diei, quod facinus? quod nefas? dicat auctor, eſtne culpa mortalis, an venialis? hoc non eſt accidens calculatoribus inopinatum: plus duobus diebus poteſt medium æquinoctiũ à vero differre, vt illud autumnale Albateg. cuius differentiã à medio euincit Bullialdus, dier. 2. hor. 1. m. 33. vt Aſtronomiæ Philol. lib. 2. cap. 3. ſed quid? eadẽ contingebant tempore Conc. Nicæni per ſaltum lunæ, vt colligi poteſt ex Beda de rat. temp. cap 40. & ſchol. Io: Nouiom. At vereor, ne hic auctor tentet Eccleſiam Catholicam inducere in eas diſſenſiones, in quibus erat tempore Conc. Nic. cum perſuadere ſibi poſſit, raros homines aſſertionibus ſuis aſſenſuros, meminerit illud Sophar ad Iob xi. 3. *Tibi ſoli tacebunt homines? & cum cæteros irriſeris, à nullo confutaberis?* Et òh quot diſſidia, quot rixę! ego ipſe, quantùmuis Aſtronomię rudis, vt gloriolam quærerem, conatus meos, quàmuis irritos, in medium afferrem. Franciſcus Vieta nob. Mathem. Gallus diuerſam correctionem kalendarij exhibuit, ſed firmata ſemel Liliana, non eſt auditus.

Eam autem, quæ à nobis Chriſtianis modò celebratur, Paſchæ Solemnitatem, fieri debere in Commemorationem Paſſionis Chriſti Domini, quis affirmat? Eam enĩ potius, facimus in memoriam eius, reſurrectionis, vt etiam feſtum Pentecoſtes hebræorum applicauimus memoriæ aduentus Spiritus Sancti, neglecto tertio feſto teſtamenti veteris, nempe Tabernacu-

lorum

lorum, cum nil habeamus inſigne, quod nobis Chriſtianis eo tempore acciderit, vt aduertit Franciſcus Georgius Tom. 3. Problem. in Sac. Scripturam Section. 9. num. 443. quæ quidem reſurrectio certè non contigit luna 14. ſed 16-ta, vel circa; cum celebris quæſtio ſit inter Græcos, & Latinos Patres, an Xpūs comederit Paſcha luna 13-tia, vel 14-ta, vt habent Petr. Bung. de Myſter. Numeror. num. 13. & 14. Baronius tom. 1. ad ann. Chriſti 34. Suarez tom. 2. in tertiam part. D. Thom. diſput. 40. ſection. 9.

Denique ea, quæ tam anxiè requiritur commoditas popularis, & exquiſita motus cœleſtis ratio, sunt contemnenda, præ vtilitate, & gaudio, quod ſentit S. R. Catholica Eccleſia videns iam per totum Orbē Chriſtianum hanc in Paſchate vnionem, quam ſi vellet mutare, inſurgerent Germani Aſtronomi, inſurgerent Galli, & fortè non quieſcerent Itali, & tot hinc inde quæſtionibus decertaretur, his ſubtiliores rationes, his exquiſitiora organa, his conſtantiā obliquitatis Eclipticę, illis variabilitatem, his maiorem, illis minorem, his inęqualitatem præceſſionis æquinoctiorum, illis motum fixarum in conſequentia, his eccentricos orbes cum epicyclis, illis ellipticos, his maiorem, illis minorem eccētricitatem, his ſimplicē, illis biſectam, his circulos reales, illis cauſas phiſicas in medium afferentibus, præter alias inæqualitates, anomalias, proſtaphæreſes, quas eſſet longum, & inutile recenſere, nec Sac. Rota decideret, & quibus implicatus Summ. Pontifex nihil deliberaret, quod mille contradictionibus non eſſet impetitum.

Itaq.

Itâque, cùm ille ſtudio boni ciuis impelli ſe dicat ad detegendos cõmunes errores, ego ex debito boni viri catholici, non potui hos importunos diſcordiæ vagitus [quantùm in me fuit] in ipſis faucibus non obtruncare, aut ſinere, ſic impunè iactari. Et

Interim ab Arena Literaria non diſcedo, aut palmam veritati daturus, aut, ſi ἀσόφως quid reſpondeatur, oppugnaturus.

Lector

MIrabere forſan, ſi priùs ad te peruenerint exemplaria Mſs-ta huius meę Apol ,vſq.de menſe Februarij publicata, quod tantùm dilata fuerit impreſsio, & quod hęc impreſſa cum Mſs. non concordent plerumq. ſed ſcias D. Archidiaconũ Io:Franciſcum Laurentium Em. & Reuerendiſs. D. Cardinalis ROSSETTI Epiſcopi noſtri Secretarium . omnes quas habebam benè exaratas copias Bononiæ D. Montanario , & alijs alibi, ita diſtribuiſse, vt mihi tantummodò relicta ſint quædam male ſcripta, & obliterata folia, vrgentibus me interim ad hãc editionem cll. viris D. Montanario , eiuſq. aſſeclis mathemat. Bononię, D. Laurentio, & amicis Fauentię, quarè hęc potiùs excerpſi, quàm tranſcripſi, auxi tamen, &, vt arbitror, melioraui. Tu, ſi placent, his fruere, & Vale.

9 9 95 8917

1072.7

MC